

## CONCIO VI.

## CONCIO VI.

REMEDIA CONTRA IMPATIENTIAM AEGRORUM, A CHRISTO PROFLUENTIA.

I. De ore Christi impatientiae antidotum. — II. Ex oculis Christi. — III. De manibus. — IV. Ex vulneribus. — V. Ex veste.

## THEMA.

*Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes. Lucæ VI.*

Matthæi c. IX. legimus oblatum Christo paralyticum, ut ab illo curaretur. Dominus curatiōnem ejus aggrediens ab anima incipit ægritudine et ait: *Fili, remittuntur tibi peccata tua; postmodum vero corpus sanat ac dicit: Surge et ambula.* Quid hoc sanandi ordine voluerit sibi Dominus, non est difficile conjectu. Voluit enim insinuare, quam perperam agant homines, qui corporis tantum curam quærunt, de cura vero anima nihil prorsus cogitant; cum tamen anima ægritudines longe graviores sint morbis corporis. Et vero morbos corporis sæpe consequuntur etiam morbi animi, indignationes, impatientia, murmurations etiam de ipso Deo, et interdum desperatio; quæ longe periculosis animum affligunt, quam omnes febres, podagræ, hydropses, etc. sed plerique hominum de his nihil sunt solliciti, soli corporis ægritudini maximis laboribus et impensis quærunt remedia. At non videtis miseri, quam perperam agatis? Curatis pedem, stomachum debilitatum relinquitis, unde tota corporis sanitas pendet: curatis servum, reginam deseritis. Non est hoc quod docuit Dominus: prius anima medendum est, postea primum corpori. Sed ubi nobis, inquis, morborum animi medicus? En hodierno in evangelio Christus, quem: *Omnis turba quærebat tangere, quia virtus de illo exibat et sanabat omnes.* Qui corora sanari a Christo cupiebant, corporaliter eum tangebant: qui spiritu sanari per Christum cupiunt de morbo impatientiae, etc. spiritualiter eum tangant, consideratione videlicet et meditatione. Missa igitur nunc, tamquam minus necessaria, corporis cura, accingamus nos ad curam anima contra morbos illos, qui corporalem ægritudinem ordinarie consequuntur. Tametsi enim forte nunc ægri non sumus, erimus tamen aliquando et forte sæpius: colligamus nunc cum formicis in æstate valetudinis fruges salutares doctrinæ, pro hieme ægritudinis.

I. Virtus sanandi hanc impatientiam exit de ore Christi, qui sicut solo verbo multos curavit infirmos, ut filium reguli et puerum centurionis, fi-

liam Chananaeæ, etc. ita etiam curare infirmatatem impatientiae potest. Audiamus præscriptum archiatri nostri: *Qui voluerit animam suam salvam facere perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam, Matth. XVI. Joannis XII. dicitur: In vitam æternam custodit eam. Sed quomodo quis perdet animam? Id faciet (inquit S. Bern.) aut vitam suam tradendo in mortem, sicut martyr, aut eam affligendo, sicut pénitens. Martyrum autem non solum illud intellige, quod a persecutoribus infertur, sed etiam quod per dolores, afflictiones, morbos, etc. a Deo solo pervenientes. Certo igitur tibi persuadeas, si verus Christi discipulus esse, et animam tuam invenire et custodire in vitam æternam velis, alterutro modo eam tibi esse perdendam, sive per spontaneam tui mortificationem, sive per cruciatuum et dolorum (undecimque tandem illi tibi immittantur, sive a tyranno, sive a Deo) patientem exantlationem; alioqui te non tam Christi quam Epicuri discipulum fore, faciendo nimurum carnis tantum curam in desideriis, ut dicitur ad Rom. XIII. nec animam tuam te inventurum in celo, sed perditurum. Elias maximæ sanctitatis et austerae vitæ vir per turbinem in colum raptus est, IV. Reg. II. ita etiam per turbinem cruciatuum et dolorum, et ut apostoli dicunt, Act. XII. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei;* id quod ipsi facto suo egregie comprobarunt: alii enim eorum secti sunt, alii lapidati sunt, alii præcipitati sunt, alii crucifixi sunt, alii in oleo assati sunt, alii capite truncati sunt, alii ut Bartholomæus excoriati sunt. Noverat nimurum noster Bartholomæus id, quod ipse dæmon testatus est, Job. II. *Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua,* id est, omnia temporalia bona, et ipsam quoque pellem perdere oportet, si quis pellem immortalitatis induere desiderat. Cæterum hanc suam excoriationem Bartholomæus, sua martyria cæteri apostoli patientissime tulerunt, et virgam Dei ad se extensem (more Assuero usitato) velut divinæ benevolentie signum exosculati sunt.*

Noli igitur aliam tibi fingere viam: regia et sola ad cœlum via crucis est et patientiae: non dico tamen, ut tu infirmitatem quæras aut culpabilem ei præbeas occasionem: sed ut ss. martyres imiteris, qui (ut S. Athanasius, in apol. profuga sua ait) prudenter subducebant se ab ira tyrannorum, ut et ipse S. Athanasius; quando autem eos Deus eorum manibus tradebat, cum hilaritate martyrum acceptabant. Similiter et tu prudenter debes sanitati tuæ consulere, si tamen ægritudo tuam domum inviserit, grataanter eam velut a Deo missam accipito.

## IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

II. Exit de oculis Christi, id est, de providentia Dei, quia uti Christus oculorum suorum obtutu, spiritualem Petri infirmitatem curavit: ita si considereremus divinam providentiam acutissime videre nostrorum morborum et dolorum causas, remedia, præmia, vires nostras ad tolerandum, et quas ipse ex gratia addere potest, nequaquam habemus causam ullam impatientiae. Mundus et terrarum domini sæpe non vident quem, qua ratione, et ob quid puniant: ideo sæpe modum exceedunt, imprudenter ac inique sœviant. Idem facies et tu si tibi ipsi mederi velis; vel enim nimio valetudinis desiderio nimium pharmaci sumes: vel nimio tuo amore, nimis parum sumes et utrobique peccabis. Non ita Deus, qui optime novit quid et quantum tibi expedit. Idecirco pulchre comparatur a Balaam rhinocerotis: *Deus, inquit, eduxit illum de Ægypto, cuius fortitudo similis est rhinoceroti,* Num. XXIII. Quia enim rhinoceros cornu infra oculos, super naribus habet (unde nomen habet a Græco *nasus*, id est, *cornu*), videt, quorsum, quem ac quomodo feriat. Ideo pugnans cum elephante, alvum ejus petit, utpote penetrabiliorum; non ita taurus et monoceros, qui cornua in fronte supra oculos gerunt ac proinde dubio ferunt. Mundus uti taurus et monoceros sæpe imprudenter et dubie ferit, non habito ad finem et modum respectu; sed Deus uti rhinoceros, finem ac circumstantias optime expendens. Modo enim ferit aliquem propter gloriam suam, uti cæcum illum a nativitate, Joannis, c. IX. cæcitate; et Lazarum, Joan. c. I. infirmitate et morte: et Sanctum Job, cap. II. plagi maximis, licet omnes essent innocentes; et hoc maximam consolationem parit, quia Christo et martyribus, qui sine culpa passi sunt, assimilat. Quis autem non malit pendere in cruce cum innocentie Christo, quam cum bono quidem latrone, culpa tamen reo? Modo ut per ægritudinem peccata tua deleat vel ab iisdem te præservet; et hoc quid potest esse suavius? Quis enim non eligat potius pruinam quam nivem? Lavare manus in aqua quam in igne? Puniri hic quam ibi? Modo ut tuam patientiam ac fortitudinem probet exerceatque; et hoc est valde gloriosum; Deus enim cum angelis suis certamen tuum spectat, (sicut Christus, Actor. VII. S. Stephanum aspergit lapidatum a Judæis, et Sanctum Antonium cæsum a dæmonibus) ut vincentem te coronet: modo affligit corpus tuum, ut spiritum fortiorem reddat; opera veræ pietatis, ut pénitentiam, patientiam, pietatem et misericordiam, etc. a te extorqueat, quæ alioqui sanus nunquam eras facturus.

III. Exit de manibus Christi: nam ut extensiōne manuum, et tactu multos curavit Dominus:

ita si consideres ægritudinem, dolores tuos, a manu Dei provenire, habebis statim cur omnem ponas querelam. Posset Deus impedire, et sine dubio impedire omnem ægritudinem, si nobis noxiā judicaret: magis enim non diligit, quam ulla mater filium. Si tu hostem habeas, qui te in cubiculo tuo occidere pararet, non posset autem ulla modo ad te penetrare, nisi communicato cum parentibus tuis consilio, et nisi claves cubiculi ab iisdem acciperet, num tu hostem illum timeres, et non potius ridebas? Annon secure in utramque aurem dormires? Quomodo enim fieri posset ut parentes in necem tuam consentirent, et claves hosti traderent? Annon potius claves sollicitate custodirent, teque securum redderent? Idem prorsus existimato facere tibi Deum, modo tu in ipsum non pugnes. Sive enim dæmones, sive mundus, sive elementa pugnant in corpus tuum, non possunt habere vel arma vel claves ad nocendum tibi, nisi per manus Dei, hoc est, vel imperante vel permittente ipso accipient. Nihil est igitur quod timeas ullam calamitatem, vel ægritudinem tibi exitiale fore, si Dei gratiam et amicitiam bene vivendo conservare studeas. Verissime tibi dictum existimato, quod Christus de amico suo Lazaro dixit, Joannes XI. *Infirmitas hæc non est ad mortem, (animæ videlicet) sed pro gloria Dei,* et anima tua salute. Ligat enim te compedibus morbi ad salutem tuam, ne ipse clabar. Falconem ignobilem, inertem et indocilem facile pateris avolare liberum et negligis; sed falconem nobilem et magni pretii, magna industria educas, et pedicas illi injicias, oculosque velas, ne tibi elabatur: ita Deus David, viro secundum cor ejus et amico plurimis affecto beneficiis, pedicas persecutionis induit, nunc per Saulem, nunc per Semei, nunc per proprium filium, ne ipsi elaberetur; quod agnosces David, lumen patiebatur: *Dimitte eum ut maledicat,* ait de Semei, II. Reg. XVI. *Dominus enim præcepit ei ut malediceret David.* *Quis scit si forte respiciat Deus afflictionem meam,* etc. Similiter et Paulus vas electionis erat Deo et falco nobilissimus, qui volavit ad tertium cœlum, nihilo minus tamen Deus induit ei pedicas, stimulum carnis, seu motus concupiscentiæ, quos etiam ter rogatus auferre ipsi noluit, II. Cor. XII. ne is magnitudine revelationum extolleretur. *Novit vero medicam Dei manum apostolus, et sua infirmitate optime contentus fuit.* Denique, sicut medicus et mater curam ægroadhibent, interim tamen saccharum porrigit: ita Deus in ipsa ægritudine suas mittit consolationes secundum id Psalm. XCIII. Secundum multititudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Ac quemadmo-

dum misit Lazaro eanes, qui vulnera ejus linge-  
rent et lingendo lenirent ac sanarent: ita mittit  
ægro aliquos qui eum consolentur, ei compatiar-  
tur et ministrent, etc.

IV. Exit ista sanitatis virtus a vulneribus Chri-  
sti: quorum interventu sanavit ulcus infidelitatis  
in Thoma. Per eadem et tu sanare impatientiam  
tuam potes, si cogites Christum fuisse: *Virum  
dolorum et scientem infirmitatem*, ut ab Isaia voca-  
tur, cap. LIII. *Qui cum malediceretur, non maledi-  
cebat; cum pateretur, non comminabatur*, ut dicitur,  
I. Petr. II. Et sicut ovis coram tondente se ob-  
mutuit, Isa. LIII. Considera igitur quatuor illa  
infirmitatis incommoda, morbi gravitatem, medi-  
camentorum acerbitatem, ciborum insipiditatem,  
et inservientium ac medicorum incuriam, quatuor  
esse clavos, quibus cum Christo in cruce fixus  
pendeas, et gaude quod Christo modo aliquo simi-  
milis sis, et cum Paulo dicere ad Galat. II. possis:  
*Christo confixus sum cruci*. Vilissima res est  
purpura ex conchyliorum genere, postquam tam-  
en imperatores ejus sanguine tingere vestes  
suas cœperunt, nemo non veneratur illam, et  
maximo sibi honori ducit, purpura donari. Et  
quid sunt tribulationes, morbi et cruciatus, nisi  
res abjectae et abominabiles? Atqui ubi Christus  
in cruce ejusmodi induit purpuram, et factus est  
vir dolorum sanguine perfusus; quis non sibi  
maximo dueat honori, simili decorari veste? Cer-  
te S. Franciscus e stigmatibus sibi impressis, do-  
lorem sentiebat; sed et maximam interim glo-  
riam habuit, et sensit consolationem. Exod. XV.  
legitur Israel murmurasse contra Moysen, quod  
venisset ad aquas amaras, quæ potabiles non  
erant. Quare Deus ostendit Moysi lignum, quod  
cum misisset in aquas dulcedinem versæ sunt.  
Similiter: *Si passio Domini ad memoriam revo-  
etur*, inquit Sanctus Gregorius, *nihil est adeo du-  
rum, quod non æquo animo toleretur*. Igitur si mor-  
bus tibi gravis et acerbus videtur, immitte in  
eum crucem Domini, et cogita eum quoque et  
longe gravius infirmatum fuisse; si medicamen-  
ta tibi aspera videntur; si cibus insipidus, intin-  
ge ea in Christi vulneribus, et cogita eum acerbi-  
ora propter te devorasse, fel et acetum, probra,  
contumelias, etc. Cujus rei exemplum scribit  
Thomas Cantipratanus, lib. II. c. LVII. part.  
XXVI. de monacho, qui fastidiens panem simila-  
gineum quotidianum, apostasiam cogitabat: cui  
Christus apparet panem hordeaceum, sed in vul-  
nere lateris sui intactum, porrexit: qui in mel-  
leam et suavitatem mutatus, tentationem om-  
nem exclusit.

V. Virtus illa de veste Christi exit. Sic enim et  
morrhoissa cum tetigisset fimbriam vestis

Christi, sanata est. Fimbriam Christi tangimus,  
cum tribulationum et infirmitatum mercede,  
gloriam æternam consideramus. Ut enim fimbria  
finis et ornamentum est vestimenti: sic gloria  
cœlestis laborum et dolorum. Quod si paucis la-  
pillis pulcherrimam tibi et pretiosissimam com-  
parare vestem posses, licet eos diu conquerire de-  
beres, quam libenter eos expenditure? Dolores,  
cruciatus, morbi et tribulationes lapilli sunt, vi-  
lissima sunt, quia et communissima (nec ea quis  
emeret hic teruntio); at in cœlo ista multum va-  
lent, quia pecunia sunt, qua gloria cœlestis com-  
paratur, nec in cœlo reperiuntur, quia nullus ibi  
dolor, etc. Quis ergo non libenter commutet  
cum aeterno gaudio et beatitudine, tempore aet-  
ermitudinem et tribulationem, tametsi aliquo la-  
bore constet? Hinc Sanctus Franciscus cum ali-  
quando nudus in urgente frigore a quadam vi-  
sus, interrogaretur, num aliquid sudoris vellet  
vendere, graviter respondit et sapienter: *Tibi qui-  
dem non vendam, qui eum contemnis, sed Christo,  
qui magno pretio illum emit*. Denique, Sanctus  
Antoninus, III. p. chron. tit. XXIII. c. IV. §. X. scribit,  
Sanctum Dominicum aliquando invisisse quam-  
dam feminam nomine Bonam, Romæ circa por-  
tam Lateranensem habitantem, quæ gravi infir-  
mitate tentabatur, siquidem ejus pectus plurimis  
scabebat vermis, id mali tamen patientissime  
tolerabat. Petuit igitur Sanctus Dominicus ab illa  
vermem unum sibi porrigi: quem cum in manus  
sumpsisset Dominicus, subito vermis in gemmam  
pretiosam mutatus apparuit: quem illa vix pre-  
cibus et lacrymis a viro sancto impetratum, sta-  
tim pectori suo restituit: quæ mox iterum in ver-  
mem versa est. Simile quid legitimus, Isa. VI. ubi  
angelus Domini calculum manu tenuit, quem  
forcipe de altari tulerat, eoque labia Isaiae tetigit.  
Quo loco calculus et carbonem significare potest  
ignitum, et carbunculum gemmam pretiosam, ut  
advertisit Sanctus Hieronymus. Carbunculum ergo  
angelus forcipe de altari tulit, quasi tunc videtur  
esse carbo ignitus, sed acceptus et de prope ins-  
pectus, deprehensus est carbunculus, ut advertit  
Alcazar, in Apoc. II. Talis prorsus ægritudo est,  
quæ de procu videtur esse carbo ignitus et adu-  
rens, melius inspecta deprehenditur esse gemma  
pretiosa. Viden igitur, quid valeant apud Deum  
dolores et cruciatus: gemmæ sunt et omni re  
creata longe præstantiores. Unde vere dixit apostolus ad Rom. VIII. *Non sunt condigne passionis  
hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur  
in nobis*. Quam fulgebit in cœlo pellis Bartholo-  
mai! Quam purpuram non superabit!

Contra vero impatientia plurima affert mala et  
longe majora, quam sint ea, quæ toleras. Dum

enim in murmurationem, vel racundiam, vel des-  
perationem aut impatientiam cadis, in longe gra-  
vius malum incidis, ut pote de malo pœna in ma-  
lum culpæ, et præterea malum tibi conduplicas,  
atque ita instar pisciculorum de sartagine in  
ignem saltas. Cervus illaqueatus dum laqueos  
nititur excutere, magis induit: avicula visco re-  
tentia, dum eluctari conatur, magis inviscatur.  
Et præterea totum ægritudinis meritum, quod  
habere poterat vel habuisti, perdis: opus sæpe  
multorum dierum. Cogita igitur nunc, utrum  
cum Catharina Sennensi, hie spineam potius eli-  
gere coronam, an roseam velis. Illa certe mox  
spineam elegit et capití suo impressit, sperans  
ibi roseam; metuens vero ibi spineam, si hic ro-  
seam elegisset.

## CONCIO VII.

## RITUS INAUGURATIONIS SUMMI PONTIFICIS.

I. In conclavi. — II. Ad S. Petrum. — III. In Laterano.  
— IV. In sèdem marmoream. — V. In palatio.

## THEMA.

*Elegit Simonem, quem cognominavit Petrum.*  
Luc. VI.

Multa fabulantur hæretici de papa ejusque elec-  
tione, auditores. Quibus os obstruendum vide-  
tur, arrepta occasione ex hodierno evangelio, in  
quo legimus electum rite a Christo Petrum apos-  
tolorum primum adeoque summum pontificem,  
et cum eo cæteros apostolos. Et quia ritus illi,  
qui in papæ inauguratione adhibentur,  
salutares doctrinas continent, eos nunc propo-  
nam.

I. Habito et promulgato pontifice, omnes sur-  
gunt ad congratulandum, deinde, eum exuent  
crocea et caput parvo, et sic cum suo rochetto  
faciunt illum sedere super ornata sede, quam lo-  
cant ante mensam, ubi priores sedebant. Tum  
imponunt illi annulum piscatoris, sive ad indi-  
candum, quod ipse velut Ecclesiæ caput, totam  
repræsentans Ecclesiam, per hunc annulum  
Christo desponsetur, ad fidem ei servandam,  
juxta id Ose. II. *Sponsabo te mihi in fide*, sive ad  
indicandum potestatem pontificis a Christo col-  
latam Petro ejusque successoribus ad elargien-  
das et concedendas quascumque gratias decretar-  
que sancienda, etc. quomodo Assuerus dedit  
annulum suum Mardochæo, Esther VIII. et Pha-  
raeo Josepho, Genes. XLI. ubi tamen humilitatis  
admonetur, dum piscatoris, id est, humili Petri  
annulo insignitur. Deinde, exquirunt, que no-

mine velit nuncupari. Et hoc ad exemplum Petri  
primi pontificis, cui Christus mutavit nomen de-  
signandum futuram ejus excellentiam, quod vi-  
delicet in posterum Christi personam repræsen-  
tatur esset, (idcirco enim Deus Petro suum  
nomen communicavit, petræ scilicet, ut in ho-  
dierno evangelio audivimus) et futurus Ecclesiæ  
caput, etc. Id vero sibi imponit, quia superiorem  
in terris non habet. Solius Petri nomen nemo  
pontificum sibi assumit, ob honorem D. Petri et  
in hoc etiam humilitatis memores sunt, dum  
summa potestate sibi ipsi nomen imponunt,  
non tamen Petri, quo nomine se indignos cen-  
sent.

Tum super altare collecat et imprimis a car-  
dinalibus reverentia ei exhibetur, osculo pedum,  
manuum et oris: veluti Christi vicario, domino,  
amico et patri. Alias cardinales manum, cæteri  
pedem ejus osculantur. Calumniantur hunc mo-  
rem hæretici, quod papa recipiat osculum pe-  
dis: sed non considerant insanii, prædictum im-  
primis hoc ab Isaia, cap. XLIX. dicente: *Erunt  
reges nutritii tui et reginæ nutrices tue: vultu in  
terram demiso adorabunt te, et pulverum pedum  
tuorum lингent*: et c. XVI. *Venient ad te curvi  
filii eorum, qui humiliaverunt te, et adorabunt vesti-  
gia pedum tuorum, qui detrahebant tibi*. Hoc enim  
de Ecclesia prædictum, si ejus capitii non conven-  
it, cui membro ejus conveniet? Non advertunt  
hoc ipsum profanis quibusdam regibus fieri  
solitum, uti apud Parthos. Quamquam summi  
pontifices nequaquam sibi arrogarunt, sed ab ul-  
tro offerentibus solum receperunt hunc hono-  
rem, et accipiunt non tamquam privatis suis  
personis, sed tamquam Christi vicariis debitu-  
m: unde et caleeo rubro holoserico cru-  
cem appictam gerunt, ut ostendant se non tam  
pedem quam crucem seu Christi personam oscu-  
landam exhibere. Non advertunt antiquissimum  
hunc esse morem apud Christianos receptum:  
accedunt scilicet ad genua pontificum, imo etiam  
sacerdotum quandoque et episcoporum, id quod  
S. Ambrosio fecit Theodosius imper. Legitur in  
vita S. Sabinæ virginis et martyr. Maximus Caii  
papæ pedes osculatus esse, apud Baron. anno  
294. Idipsum ab aliis haec tenus observatum. Di-  
xisse etiam Christum, Joan. XVII. ad Patrem:  
*Gloriam (ut habetur in Græco) quam dedisti mihi  
didi eis*. Hoc fecerunt papæ Pipin. rex Franc. Ca-  
rolus M. imp. ejus filius Ludovicus Pius, Fride-  
ricus I. etc.

Interim prior diaconorum aperta sacrarii fe-  
nestella, qua populus expectans videri potest,  
crucem profert alta voce clamans: *Anuntio vo-  
bis gaudium magnum: Papam habemus; reveren-*

dissimus dominus cardinalis N. electus est in summum pontificem, etc. Tum pulsantur campanæ, et omnis generis signa laetitiae eduntur. Merito et hoc sit: maxima enim Dei gratia est, habere pontificem novum orite et concorditer electum, sine schismate ac turbis in tam longa et continua serie, quæ certissima fidei nostræ nota est et comprobatio: quo plures enim flunt in dies pontifices, eo fortior catena et invicibilior. Petra hæc hereticis clavus in oculis est, lancea in lateribus, qui nil malling, quam videre scissuras in nobis: et jam dudum susperabant interitum hujus cathedrae juxta Lutheri pseudoprophétiam.

II. Ex conclavi descendit ad Sanctum Petrum et prostratus ante altare orat: tum exente eo de capella S. Gregorii, cæremoniarius incendit stupram coram eo et genuflexus ait: *Pater sancte, sic transit gloria mundi.* Idque tertio facit, distinctis spatiis. Tum procedit per navim ipsius capellæ, ubi sepultra sunt Romanorum pontificum e parietibus eminentia: ut in summa hac festivitate et pompa etiam mortis reminiscatur: ad exemplum nimirum Christi, qui in ipsa transfigurationis suæ gloria, de morte sua sermocinatus est, et in pompa triumphali flevit super Hierusalem. Ne igitur illatenus ob summum honoris fastigium efferentur, hisce monitis frænum sibi imponere voluerunt: ut se quoque mortales esse meminissent. Quæ res ostendit maximam pontificum humilitatem; siquidem hæc ipsi sibi procurarunt et exhiberi jusserunt, ut omnibus notum facerent, se honoribus illis nec allctos nec affectos, sed præter voluntatem et merita sua ad eos se evectos esse, nec eos magni estimare. Ut mirum sit, quomodo mentiantur hereticici papam divinos sibi honores assumere et requiri.

III. Procedit ad Lateranum, humili equo, vel in sella gestatus, sub umbrella. Non quasi, ut vulgus credit, terram nunquam contingere debat: (hoc enim falsum) sed ob reverentiam: sic enim et Christi pedibus Judæi et apostoli vestes substernebat. Dignior princeps, qui adest (etsi imperator sit aut rex) pro recepto amore, papæ equum ascensuro stapedem tenet, et aliquantum, freno equum ducit: quod tamen modeste, detrectat papa: et post aliquot passus omnino subsistit, officium recusans: ad quod alii duo magni nobiles substituuntur. Si in sella gestatur, quatuor majores principes sellam aliquantulum portant, sed magis ob reverentiam, quam ut pondus gerant, siquidem ali quatuor adhuc adsunt. Hæc vero officia non ipse pontifex exigit; sed ultra oblata modeste primo recipit, et humiliter mox detrectat: prius agit ut Christi vicarius, poste-

rius ut persona propria. Legimus enim Christum acceptasse hoc genus officii a Judæis. Certum hoc præstissime pontificibus non unum, sed plures reges, Boz. design. Ecclesiæ XX. cap. V. Ludovicus Franc. et Henricus Angl. reges cum scirent Alexandrum III. ad eos venire, progressi obviam, stratorum functi officio, dextra lœvaque equi frænum tenuerunt, et ad hospitium paratum sunt comitati. Non enim intuebantur eum ut hominem, sed veluti ipsum Christum, cui servire regnare est. Porro heretici, qui hunc honorem papæ invidenter, similes sunt Pharisæis, qui a turbis acclamantibus Christo: *Benedictus qui venit in nomine Domini,* dicebant Domino: *Magister in crepa discipulos tuos;* sed respondet Dominus: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt,* Luc. XIX.

Porro Judæi in certo loco cum sua lege observant et expectant transeuntem pontificem, eamque genuflexi pontifici offerunt, lingua Hebraica dilaudantes eam et hortantes pontificem ut eam veneretur. Quibus is respondet: «Sanctam legem, viri Hebræi, et laudamus et veneramur, ut pote ab omnipotenti Deo per manus Moysis patribus vestris traditam, observantiam vero vestram et vanam interpretationem damnamus et improbamus, quia Salvatorem, quem adhuc frustra expectatis, apostolica fides jam pridem advenisse docet et predicat Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.» Sed ad quid Judei Roma? Primo, ad fidei nostra confirmationem: ut sic agnoscant illi misericordiam et cætitatem suam, dum Ecclesiæ Christi subesse et mancipia coguntur, eoque loco, a quo ipsis exitium partum, et in quem sacra eorum translatata sunt. Secundo, ut ibidem convertantur: ibi enim ad concessionem christianum hebdomatim audiendam adiunguntur, unde aliqui convertuntur, cæteri confunduntur.

IV. In aede Laterana dicitur, a priore et canonice illius Ecclesia ad sedem marmoream sterorantem (non ad Jeannem pseudopapam, ut hereticici mentiuntur); sed ut iterum meminerit humilitatis et quis fuerit; ibi occinitur ei versicolor: *Suscitat de pulvere egenum et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus et solidum gloriæ teneat.* Hac enim cæremonia ostendit se hac gloria indignissimum et optime nosse, quis fuerit et quis sit: vult enim pontifex indicare, quod nihil se meliorem aliis reputet, sed conditione naturali omnibus parem. Propterea etiam papa, id est, pater, vocari vult, non dominus: aliosque omnes fratres vel filios vocat.

Tum quantum pugno potest complecti pecunia-

rum, ubi tamen nihil prorsus sit argenti et auri, spargit inter populum dicens: *Argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do: ad designandum paupertatem spiritus, quia in mente præditus, pecuniis nequaquam afficiatur, nec appetat aliena, sed bene et parce utatur suis, liberaliter elargiatur, etc.* Hinc tamen non sequitur, ut donata Ecclesiæ bona abjicere debeat; ut pote sine quibus conservari sedes non posset: alia ratio fuit apostolorum, et alia pontificum: alia illius temporis, alia posterioris.

V. Ab ecclesia Sancti Joannis per pontem lignum ascendit ad palatium Lateranense, et postea ad capellam Sancti Silvestri, ibique sedens in prophætica sede, accipit a priore ecclesiæ Lateranensi genu flexo, ferulam in manu, in signum correctionis et regiminis: et claves ecclesiæ et palati, in signum potestatis claudendi et aperiendi, ligandi et solvendi. Deinde, sedens in altera prophætica sede ad aliam partem, restituit eadem dicto priori: veluti relicturus hæc post se ecclesiæ, ubi de sæculo hoc aliud migravit, vel quod paratissimus sit hæc libentissime mox deponere et concedere.

Tum præcinctus cingulo rubro serico cum bursa item rubra, in qua sunt duodecim lapides pretiosi cum musco, capit denarios argenteos omnifarum e gremio camerarii, quotquot potest continere, et super populum spargens dicit: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi,* idque ter facit. Quo denotat dispensationem thesauri Ecclesiæ, et Christi apostolorum maxime meritis constantis: e quo largiter concedere queat indulgentias, vel etiam ob dispensationem bonorum temporalium quam facturam se in pauperes pollicetur: ut plerique fecere papæ, Gregorius Magnus imprimis, qui successorem Sabinianum tenacitatis in somno saepè arguit, et demum in capite percussit, unde dolore vexatus postea obiit.

Nostrum est jam rogare Dominum Deum ut et pontifici nostro adesse et Ecclesiæ hostes omnino profigare velit: *Ut ita sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi; in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris.*

I. Quid in electionibus faciendum. — II. Modus orandi. — III. Primatus Petri. — IV. Nova nomina pontificum et religiosorum. — V. Unio in Ecclesia. — VI. Peccatores ultimo loco. — VII. Non mirum si aliqui mali in communitate.

## THEMA.

*Excit in montem orare, et erat per noctans in oratione Dei. Luc. VI.*

Dilecti in Christo, faciemus in hac concione quod fieri in messe solet. Ibi enim alii agrum demetunt, alii spicas derelictæ colligunt. Postquam ergo ex agro hodierni evangelii multa jam messumus, nunc cum pauperibus colligere spicas, id est, reliqua documenta minus præcipua volumus: quod eo libentius faciemus, si meminerimus s. evangelium esse agrum illum, de quo Dominus, Matth. XIII. ait: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit et præ gaudio illius vadit et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.* In quem locum ait Origenes, in cap. XIII. Matth. tom. II. *Agro non est dissimilis sacra Scriptura, in qua reconditus est inestimabilis thesaurus sapientie Dei.* Cum ipso sentiunt August. l. I. quæst. evang. c. XIII. tom. IV. Jerom. in c. XII. Matth. tom. IX. quando igitur tam pretiosus thesaurus latet in Scripturis sanctis, præsertim in evangelio, tanto majori studio ac diligentia conabimur eum inquirere et minima quæque rimari.

I. Discimus quid in arduis negotiis et in specie quid in electionibus facere debeamus. Etenim primo, Christus antequam eligeret duodecim apostolos, prius ascendit in montem, et ibi pernoctavit in oratione: unde S. Ambros. in hunc locum ait: «Quid te facere convenit cum vis aliquod officium pietatis adoriri, quando Christus missurus apostolos oravit prius?» Quod postea observatum ab Ecclesia. Sic enim Actor. I. ante electionem Matthia in sortem Judæi proditoris, apostoli prius oraverunt Deum, ut ostenderet eis, quem eligere deberent: sic Act. XIII. prius jejunabant et orabant, antequam Paulo et Barnabæ imponerent manus, et munus prædicandi, unde et Ecclesia instituit jejunia quatuor temporum pro sacerdotum ordinatione.

Secundo, non processit ad electionem de nocte, sed expectavit diem: *Et cum dies factus esset, vocavit ad se discipulos,* ait Lucas; sic etiam non fortuito absque examine, aut ad nudam aliorum relationem eligendi sunt sacerdotes, magistra-

## CONCIO VIII.

tus, etc. sed exploranda singulorum vita et mores atque habilitas: siquidem ex illis pendet multorum salus.

Tertio: *Vocavit ad se, quos voluit ipse*, ait S. Marcus, cap. III. docens ambitionem et amicorum intercessiones a Christo non admissas: sed qui placebant ipsi, hos elegisse (siquidem et Judas tunc bonus erat) et similiter tales eligendos, non qui nobis, sed qui Deo placeant: nec qui ambitu quærunt dignitates, sed potius qui fugiunt. Quod utinam in electionibus suis servarent homines; quid enim insulsus et iniquius, quam ad aliorum preces ordinare vel eligere inidoneos? Plerumque etiam qui ambunt honores, inhabiles sunt. Unde lex, si quamquam cod. de episc. et cler. dicit: *Quæxatur cogendus, qui rogatus recedat, invitatus fugiat. Profecto indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invititus*. Sic lex.

Ad eamdem orationem in similibus negotiis configere oportet: ut cum parentes suis liberis statum eligere volunt, vel cum quis sibi ipsi, solent dicere parentes de suis liberis: Iste debet mihi fieri miles, ille canonicus, tertius aulicus, ista materfamilias, illa monialis, etc. non considerantes, quod facilime in hoc errare possint, et liberos in ruinam impellere. Rogare deberent Deum, ut eos ad competentem] statum vocare dignetur, qui solus novit, quid illis competit, debent etiam considerare eorum inclinationes et talenta.

II. Discimus modum et rationem orandi. Primo enim, Dominus oraturus ascendit in montem: ita nos oraturi mentem a terrenis rebus avocare, et ad Deum elevare debemus, per præviam præparationem, cogitando nimirum quid et cum quo locuturi simus, juxta id Eccles. XVIII. *Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum*. Ut enim is illudetur patrifamilias, qui pulsaret ejus fores, et illo aperiente mox recederet vel ludicram rem quæret: sic etiam qui inconsulto Deum adit precaturus. Unde etiam fit ut tales mox distrahanter, et alio se conferant suis cogitationibus, quod est Deum tentare et quodammodo illudere. Ambros. in cap. I. Luc. super hunc locum ait: « Ille non ascendit in montem, qui de sæculo, divitiis haud honore sollicitus est; non ascendit in montem, qui funditus optat alieni. ascendit ille, qui Deum quærit, etc. » Non ascendit etiam montem, qui ingrediens templum ad orandum, illico caput in pileo conduit et corruit in sedem velut truncus. Alterum longe S. Narcissus Augustam veniens, et cibum in domo Afræ sumpturus, prius toto corpore, vultu et oculis ad orationem se adeo devote composuit, ut inde compuncta Afra, et velut mi-

raculo obstupefacta, ad ejus se pedes abjecerit, et turpem vitæ suæ labem ultro confessa sit atque abstaserit.

Secundo, oravit de nocte, dicens orationi congruum esse locum obscurum et solitarium, que nimirum sensus minus distrahanter. Unde Sanctus Antonius pernoctabat in orationibus, et man adventante diem accusabat, quasi causam distinctionis, dicens: *Quid me impedis sol! Qui a hoc jam oriris ut me ab hujus veri luminis abstractas claritate?* Cassian. coll. IX. cap. XXXI. Hinc apud primos Christianos preces nocturnæ frequentissimæ erant: utinam forent et nunc, ita saltem ut ad matutinas horas et missas manc conveniremus.

Tertio, pernoctavit in oratione, docens perseverandum in eadem. Si enim Christus Dei Filius non illico exauditus est in suis orationibus, sed per integrum noctem ad fores Patris sui pulsare et stare permisus est (uti imprimis patet in monte Oliveti), quid conquerimur nos servi? Unde Ambrosius in hunc locum ubi supra ait: « Species tibi datur, forma præscribitur, quam debeas æmulari. Quid enim te pro salute tua facere oportet, quando Christus in oratione pernoctat? » Optima argumentatio: Si enim nostra salus Christo adeo cordi fuit, ut causa illius pernocaret: annon magis eadem nobis cordi esse debet?

III. Discimus Petro primatum a Christo promissum et postea collatum, hic confirmari: siquidem ordine primus ab omnibus recensetur evangelistis: et Matth. X. expresse dicitur: *Primus Simon, qui dicitur Petrus et Andreas frater ejus, Jacobus Zebedæi, etc.* Non dicitur secundus Andreas, tertius Jacobus, etc. quia de reliquorum ordine non laborabant evangelistæ. Similiter quoties alibi nominantur discipuli, semper Petrus velut paterfamilias aut dux aliis præponitur; ut Marci I. *Simon et qui cum eo erant*: et cap. I. *Dicite discipulis ejus et Petro*: et Act. II. *Stans Petrus cum undecim*: sic Luc. VIII. et IX. omnium nomine respondet. Signum ergo est, denotari hic primatum Petri: non ratione vocationis, nec ætatis: nam Andreas ipso senior et prior vocatus erat; nec ratione sanctitatis: qui enim credit evangelistas ausos esse de apostolorum sanctitate discrimen et judicium ferre? Quod si Paulus ad Gal. II. Petrum inter Jacobum et Joannem medio loco ponit, vel ibi rationem dignitatis non habuit, vel quia Jacobus senior et episcopus, eo loci, scilicet Jerosolymæ erat. Ut taceam aliquos patres in textu Petrum præponere, adeoque fortasse immutatum esse textum. Est ergo hic locus hereticis clavus in oculis et lancea in lateribus,

## IN FESTO S. BARTHOLOMEI.

qui primatum Petro et ejus successoribus dene-  
gant, non enim tam constanter omnes evan-  
gelistæ Petro primatum darent, si eum non esset  
a Christo sortitus; neque Judam omnes ultimo  
loco posuissent, nisi apostolorum indignissimus  
et magistri proditor fuisset; neque in solo cæ-  
terorum et apostolorum numero dissentirent, si  
ejus aliquam rationem habendam censuerint.

IV. Discimus non male fieri, cum summis pontificibus et religiosis nova imponuntur nomina. Hoc enim fecit Dominus, cum Petrum vocavit Simonem, filios Zebedæi Boanerges. Voluit enim illis insinuare, quales esse debeant, Petrus fundamentum et petra fidei immota; cæteri duo prædicatores eximi, etc. Sic pontifex novum accipit nomen, ad exemplum Petri, et ut noverit se jam novam representare personam debere, Christi videlicet vicarius in terris: similiter religiosi, qui exuto veteri et sæculari nomine, novum et spirituale induunt. Fabulantur aliqui cum hereticis nominis mutationem in pontificibus Romanis originem traxisse ex Sergio pontifice, quod prius vocaretur os porci. Sed fallunt: nam Sergius IV. (non secundus ut illi putant) dicebatur quidem Buccaporci, id est, os porci, cognomine; non tamen ob hoc mutavit nomen, sed quia vocabatur Petrus nomine proprio: mutavit autem hoc nomen ob reverentiam S. Petri, quod nulli alteri pontifici commune fuit, ut Baron. anno 1009.

V. Discimus charitatem mutuam et unionem cum Ecclesiæ perpetuo servandam. Etenim ea de causa semper bini et bini apostoli nectuntur et recensentur a Luca in hed. evang. similiter Matth. X. sic binos et binos mittit, Marci VI. sic duo missi ad solvendum asinum, Lucæ XIX. et ad parandam coenam Petrus et Joannes, Lucæ XII. nec male Marcus omnes Petro connexuit copula illa; et nimirum hic nexus sacramentum charitatis est. Et bini nectuntur: *Quia duo sunt charitatis præcepta: vel quia omnis charitas minus quam inter duos esse non potest*, ait S. August. I. II. quæst. evang. Hæc ergo unio apostolorum totum mundum vicit et convertit: et hoc nexus juncti sunt inter se et cum sede Romana omnes catholici, unde inter eos perpetua concordia in articulis fidei et Ecclesiæ obedientia; nequaquam inter hereticos, quia nexus isto carent. Hinc Ecclesiæ firmitas, quia: *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas fortis*, Prov. XVIII. hinc fidei propagatio, quia si in ore duorum vel trium stat omne verbum, quanto magis in ore omnium catholicorum: contra regnum hereticorum in seipsum divisum, utique desolabitur. Et quis eorum dogmatibus credat, cum ii adeo dissen-

tiant? Alibi probant et usurpat ritus catholicos, missam, vestes sacras, lumina in templo, confessio- nem auricularem; alibi improbat et rejiciunt, etc.

VI. Discimus quo loco sint peccatores in evan- gelio; ultimo nimirum: siquidem Judas semper ab omnibus evangelistis ultimo loco ponitur. Sic carnifici plerumque ultimo et sordidissimo civitatis loco habitat assignatur, ne ejus commercio cives honesti se commisceant et contaminent. In hoc mundo omnia involvuntur et plerumque peccatores summis collocantur et se intrudant locis, justi contemnuntur et abjecti sunt: unde Ps. LXXII. *Ecce ipsi peccatores abundantes in sæculo obtinuerunt divitias, etc.* sed non ita erit in regno Dei. Contigit in mundo, quod in dome, que non inhabitatur vel occupatur a militibus, ubi omnia involvuntur: ac tum Dominus aliquis eam incolere incipit, vel ad eam reddit, tum omnia suis locis reponit. Mundus hic epulonem primo loco et in splendida mensa posuit; Lazarum vero præ foribus: sed quando venit Deus mediante morte utriusque, Lazarum posuit in sinum Abrahæ, epulonem sepelivit in inferno. Contendamus igitur in hoc mundo, non pro primo, sed pro ultimo potius loco, ut ibi exaltari et audire mereamur: *Amice ascende superius*.

VII. Discimus mirum non esse, si in quovis cœtu reperiantur aliqui mali; siquidem etiam in ipsis Christi Domini collegio fuit unus fur et diabolus. Quid ergo mirum si inter plurimos summos pontifices bonos aliqui mali fuerunt? Si inter multos adhuc clericos aliqui delirent? Si in aliqua domo aut familia reperiantur aliqui reprobi? Neque enim propter unum aut alterum malum, cæteri sunt infamandi aut contemnendi. Quis enim propter unum Judam culpet reliquos apostolos? Hinc nota proditoria ab evangelistis consulto notatus est, ut ejus infamia cæteris non aspergeretur, sed aliorum bonitas appareret, et ab opposito magis elucesceret. Neque etiam mirum valde si plures mali nunc reperiantur in aliquo cœtu vel statu, quam boni, quia in schola Christi tam sancta fuit inter duodecim unus reprobus; non adeo mirum, si nunc in aliquo cœtu sint quandoque plures mali quam boni. Ut enim ejusmodi disciplina, exempla, doctrina, miracula, uti tunc visebantur in schola Christi. Unde etiam sequitur neminem propter paucos malos debere scandalizari. Si enim non legimus ullum apostolorum vel aliorum in lapsum Judæ impegiisse: cur scandalizemur nos in illis, quæ in tali disciplina non sunt? Timeamus potius et cum timore ac tremore salutem nostram operemur, ne quemadmodum Judas ita et nos aliquando cadamus.